

betur. habitantes super Middim & ambulantes in via. Nomen loci est Middim. loquimini. Magis quadrat vt legatur. canite. inuitatur enim equitatores afinarum habitantes super Middim & ambulantes per vias ad cantandum. E regione siquidem antedictorum temporum quibus desertæ erant viæ & villæ, describuntur viæ & villæ iam redditæ securitati & habitatio- ni. viæ quidem inuitando ambulantes in via ad Cantandum: villæ autem inuitando ad idem equitatores Afinarum alba- rum habitantes super Middim. Vbi collisi sunt curvus & hostiis suffocatus est exercitus, ibi narrentur iustitia domini & clementia in fortes Israel. Iuxta Hebræum habetur. A roce sagittatorum inter haustores aquarum ibi conferent iustitias Tebouah, iustitias ville eius in Israel. Modus quo Deus pugnavit pro Israël cõtra exercitum regis Iabin, describitur præpositus. Ine, nã prius descripta est securitas viarum & villarum quæ sunt effectus victoriæ, & postea describitur modus vincendi. Et intendit per vocem sagittatorum tonitrua diuinorum fulminum in lo- cis vbi hauritur aqua: hoc est iuxta torrètes vbi superatus est exercitus Chananæorum. & propterea dicitur quod ibi con- ferent comemorando iustitias domini aduersus Chananæos, & in specie iustitias vindicatiuas villarum suarum in Israël quæ fuerat desertæ. vniuersa enim hæc inuitatio refertur ad habitatores villarum & viatores. Deinde subditur. tunc descē- dit populus domini ad portas, & obtinuit principatum. Non habe- tur in Hebræo & obtinuit principatum; sed declarata secu- ritate viarum ac villarum, declaratur libertas ciuitatum ex eadem victoria secuta. è regione enim eius quod dixerat op- pugnaſi olim portas ciuitatum, manifestat redditam liberta- tem populis Israël eundi ad portas ciuitatum in quibus fede- bant senes, fiebant iudicia &c.

Exurge exurge Debora, exurge exurge loquere canticum: surge Barac & apprehende captiuos tuos. Iuxta Hebræum habetur. & apprehende prædam tuam fili Abinoham. Non sunt hæc com- mentis verba, sed cantantis res gestas cū exultatione nar- rando ac si essent in factu. Saluati sunt reliquiæ populi. Iuxta Hebræum habetur. Tunc dominabitur reliquis in fortibus popu- li. Et immediatè sequitur. Tebouah dominabitur in potentibus. Effectus victoriæ describitur quod reliquis populus (qui scilicet relictus est ab oppressoribus) dominabitur super for- tes Chananæos; & resoluendo rationem dominij in Deum qui

qui erat actor victoriæ & dominij, subiungitur quod Deus dominabitur in potentibus Israëlitis super Chananæos.

EX Eph'raim deleuit eos in Hamalec. Iuxta Hebræum ha- betur. De Eph'raim radix eorum in Hamalec. Narrata victoria cum illius effectu ex diuino auxilio, narrat qualiter se habuerunt tribus Israel ad illud bellum: sic tamen vt ali- quas tribus laudando (non quo ad hoc) inferat pro com- muni lætitia, vt aliunde laudentur quæ ex hoc facto laude carent. Et incipit à tribu Ephraim de qua erat ipsa Delbora; vt testatur habitatio eius scripta in præcedente capítulo. Laudat autem tribum Ephraim tanquam non nouitiam ad huiusmodi opera bellica, eò quod radix victoriæ bellicæ fue- rit Iosua ex tribu Ephraim in prælio contra Hamalecitas in egressu de Ramoth. Et nominando radicem, insinuat exor- tos inde ramos tot victoriarum postea contra Chananæos eiusdem Iosua. Ac si apertius dixisset. non est mirum quod ex tribu Ephraim prodiit hoc bellum, quoniam radix præ- liorum & victoriarum ex illa fuit ex quo ceperunt bella, à primo bello videlicet contra Hamalec. & post eum in Binia- min in populos tuos ò Hamalec. Iuxta Hebræum habetur. post te Biniamin in populis tuis. Nihilque dicitur de Hamalec. Et commédatur ad literam tribus Benjamin, ex qua fuit Aioth qui liberauit populū de manu Moabitarum. & propterea di- citur & post te Ephraim: hoc est imitator tui fuit Benjamin in populis tuis liberandis de manu hostium. de Machir prin- cipes descenderunt. Iuxta Hebræum non habetur principes, sed scribæ: tribus enim Menassis ex qua erat Machir com- mendatur quod scribas produxerit: hoc est sapientes ad re- gimen. Et ad literam meminit Machir, eò quod (vt patet Nume. ultimo) filij Machir consuluerunt moderamen legis de nuptiis filiarum Hæredum: videlicet vt nuberent iuis propinquis ne hæreditates sortium confunderentur. & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum. Iuxta Hebræum habetur. & de Zabulon tractores in stylo scribæ. Ignoræ nobis historiæ inducunt ad intelligendum quod tribus Zabulon laudetur in arte scribendi, tanq̃ aliis præstaret in hoc. Ad- uerte prudēs lector, q̃ hinc habes per modū laudis commo- rari à Delbora hæc quæ impertinentia videntur. ex hoc e- nim quod tribus Zabulon quam perspicuum est ad bellum hoc concurrisse prælaudatur de arte scribendi, insinuat q̃

reliqua quæ de aliis tribubus commemorantur, non nisi laudabiliter commemorantur. Et rationi consentaneum est vt Delbora iudex (ac per hoc persona communis vniuerso Israel) in publica laude illarum trium tribuum quæ affuerunt, ne inuidiam excitaret in aliis tribubus (ac per hoc dissensionem) laudes aliarum tribuum pro bono pacis inseruerit.

Duces Isachar fuere cum Delbora, & Barac vestigia sunt secuti. Iuxta Hebræum habetur. Et principes in Isachar cum Delbora & Isachar. Significatur enim quod non solum principes tribus Isachar sed etiã ipsa tribus Isachar cõuenerunt cum Delbora. Deinde immediatè subiungitur, sic Barac in uallem fuit missus in pedibus suis. Hinc clarè apparet quod quando Barac descendit de monte Thabor cū decē millibus ex Nephtalim & Zabulon, cõcurrerunt in ualle principes Isachar cum multitudine ex tribu illa. hoc enim significatur dicendo, sic Barac missus fuit in uallem. aduerbium siquidem, sic, ad cõuetum Isachar refertur, diuiso contra se Ruben magnanimatorum reperta est contentio. Iuxta Hebræum habetur, in elongationibus Reuben magna scriptio cordis. Quia Rubenitæ separabantur flumine ab aliis Israelitis in terra promissionis, ideo in elongationibus describuntur, & quia uiri erant multum meditatè, ideo laudantur quod erant magni scriptores in cordibus: figebant enim cordibus propriis cogitamina sua. Quare habitas inter duos terminos: Iuxta Hebræum habetur, vt quid habitasti inter confinia: ad audiendos sibilos gregum. Legè. 32. caput Numeri: & inuenies Rubenitas petiisse habitationem in confinibus propter multitudinem gregum quibus pascendi apta erat terra illa. & propterea commemorantur in confinibus ad audiendum sibilos gregum. Nec dicitur vt quid, ad denotandum vanitatem aut quancunq; ignominiam seu reprehensionem: sed cum per modum interrogatis dictum fuisset, vt quid habitasti inter confinia, subiuncta est responsio ad audiendum sibilos gregum. ratio enim habitandi inter confinia, redditur copia magna animalium, ita quod ad laudem opulentia Rubenitarum hoc spectat, diuiso contra se Ruben, magnanimatorum reperta est contentio. Iuxta Hebræum habetur, in elongationibus Reuben magna scrutinia cordis. Sententia eadem est cum priore, exaggerado enim laudatur Ruben circa cordis meditationes: quod ad laudem consilij spectat. Chalaad trans Iordanem quiescebat. Legendum est. Ghilhad trās

Iarden

Iarden mansit. Ghilhad nomen est filij Machir filij Menassis, de quo nihil aliud dicitur nisi quod trans Iordanem habitauit. Iungitur enim cum Rubenitis. & Dan uacabat nauibus. Iuxta Hebræum habetur. & Dan quare habitabit in nauibus? quasi dicat, non frustra habitat iuxta mare mediterraneum & maritimis lucris attendit. Aser habitabat in littore maris, & in portibus morabatur. Iuxta Hebræum habetur. Aser habitauit in portu maris, & super fracturas eius castrametabitur. Fracturas maris appellat collisiones undarum maris. laudatur enim quod negociatur nauigando non obstantibus marinis collisionibus. Zabulon uero & Neptalim obulerunt animas suas morti in regione Meroma Iuxta Hebræum habetur. Zabulon populus dehonestaui animam suam ad moriedum & Naphthali super celsitudines. Laudantur istæ duæ tribus quod dehonestationi exposuerunt vitam suam cum decem millia ex eis ascenderunt in montem Thabor. est enim sensus quod secundum humanum iudicium non solum exposuerunt uitam suam morti, sed etiam opprobrio, quod tam pauci pedites contra tantum exercitum & tam validum se erigerent. Et ex hoc magis commendantur, tanquam identes diuino auxilio.

Venerunt reges pugnauerunt, tunc pugnauerunt reges Chenahan in Tahanac iuxta aquas Migiddo: & tamen nihil tulere predautes. Vel plurale ponitur pro singuli (eod quod Iabin rex virtualiter æquiualebat pluribus regibus) vel milites à pluribus regibus concurrerunt.

DE caelo dimicatum est contra uos: stelle manentes in ordine & cursu suo aduersus Siferam pugnauerunt. Iuxta Hebræum habetur. E caelis pugnauerunt stelle: de gradibus suis pugnauerunt cum Sifera. Pugna stellarum creditur coruscationibus, gradinibus & huiusmodi fuisse. Et adiungitur de gradibus suis, hoc est absque mutatione cursus sui: ne intelligeretur quod stellæ passæ fuerint simile aliquid fixationi solis & lunæ tempore Iosua. Torrens Cison traxit eos, torrens Cedumim, torrens Cison. Et hinc apparet quod tanta aduersus hostes erupit pluuia vt torrens aqua plenus traxerit cadauera eorum. Nec sit sollicitus de nominibus torrentium, quia ignota sunt nobis. Conculca anima mea robustos. Iuxta Hebræum habetur, dirigis anima mea fortitudinem. Vox est prophetissæ interponentis desiderium suum vt semper anima populi dirigat fortitudinem: hoc est non obliquet fortitudinem à Deo uero in deos gentium

gentium, sed semper fortitudinem suam locet in vero Deo. hoc est enim verè dirigere fortitudinem. Vngula equorū ceciderunt: fugientibus impetu & per præcepta rueribus fortissimis hostium. Iuxta Hebræum habetur. Tunc calcanei equorū fregerunt: à calcationibus fortium suorum. describitur enim quòd fortes Chananæi etiã hac pœna multati sunt, quòd calcati sunt à propriis equis frætiq; pedibus equorū suorum.

Maledicite Meroz. Ex hoc quòd reprehenditur sola terra Meroz eo quòd non venerit in adiutorium populo Israël, insinuatur quod superius diximus: videlicet quòd nō reprehensiuè commemorantur aliæ tribus Israël in hoc cantico quæ non scribuntur conuenisse ad bellum in hoc. Et ratio diuersitatis videtur esse, quia istæ aliæ tribus non fuerunt requisitæ, habitatores autem Meroz requisiti, noluerunt opem ferre. dixit angelus domini. Seipsam appellat Delbora angelū domini, eò quòd tāquā nuncius Dei maledictionem aduersus Meroz proferebat, posset nihilominus intelligi Barac, eò quod fuerit nuncius Dei ad cōgregandum exercitum pro liberatione populi. In idem autem redit si quis angelū Iehouah intelligat angelū, qui reuelabat Delboræ agenda. Et hic sensus quadrat Hebræicæ literæ. in qua non est articulus genitiui casus Iehouah: sed solito more describēdi verè angelos Dei, scribitur hic angelus Iehouah. tanquā appositiuè diceremus angelus Deus: hoc est agēs personā Dei: hoc est Deus in suo angelo. quāuis interpretes cōmuniter ubique transferant angelus domini. Maledicēdo maledicite habitatoribus eius: quia non venerunt ad auxilium domini, in adiutoriū fortissimorum eius. Iuxta Hebræum habetur. quia non venerunt in adiutorium Iehouah, in adiutoriū Iehouah in fortibus. Habebant enim habitatores Meroz viros fortes: & quia nō venerunt cū fortibus viris, maledictione dignos se reddiderunt. Et in hoc tãgitur disparitas inter istos & tribus Israël quæ non conuenerant: eò quòd apud istos essent viri fortes potentes ad bellū, apud tribus autem illas non erant, sed erant vacantes gregibus alendis vel maritimis exercitiis & huiusmodi aliis: vt in hoc cantico prærecitatum est ad excusandos eos. Reliqua huius capituli correctione aliqua indigerent, sed quoniam materia valde tenuis est, pertranseo.

Benedicatur inter mulieres Iahel vxor Cheber cinei, inter mulie-

res in tentorio benedicatur. Aquam petēti lac dedit: in phiala principum obtulit butyrum. Manum suam ad clauum misit & dexteram suam ad malleū fabrorum: & percussit Siseram, abscidit caput eius & perfodit & incidit tempus eius. Inter pedes eius incuruatus est. cecidit dormiuit: inter pedes eius incuruatus est cecidit, vbi incuruatus est ibi cecidit vastatus.

Per fenestram respiciens ululabat mater Siseræ, & de cenaculo loquebatur: cur moratur regredi currus eius, cur tardauerunt pedes quadrigarum eius? Sapientes domicellæ eius responderunt ei: etiã ipsa respondit verba sua, forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherri-ma feminarum eligitur ei: vestes diuersorum colorum Siseræ traditur in prædam, & suppellex varia ad ornandum collum congeritur. Sic pereant omnes inimici tui domine, qui autem diligunt te sicut sol in ortu suo sperant: rutilent: quicuiq; terra quæ triginta annis.

CAPVT VI.

Fecerunt autem filij Israël malum in oculis domini: & tradidit eos dominus in manum Mid'ian septem annis.

Minus (vt reor) malum fecerunt quàm patres eorū & propterea nō dicitur, & addiderunt ad faciendū malū. sed fecerunt malū: nec dicitur quod vendidit eos sed dedit eos Iehouah in manū Madiam. & tempus pœnæ breuius scribitur: videlicet septem annorū. Et est hæc quarta afflictio populi.

Et inualuit manus Midian super Israël: à facie Mid'ian fecerunt sibi filij Israël antra in montibus, & spelūcas & munitiones. Et erat si secebat Israël, ascendebat Mid'ian & Hamalec: & filij Cedem ascendeabant contra eum. Et figebant tentoria contra eos, & sicut erāt in herbis cuncta vastabant Iuxta Hebræum habetur. & destruebant pronentum terre vsque ad introitum Hæzæ: & non relinquebant victum in Israël, non oues non boues non asinos. Ipsi enim & greges eorum ascendeabant cum tentoriis suis, veniebantq; tanquam locusta in multitudine, & ipsorum & camelorū eorum non erat numerus: & veniebant in terram ad deuastandū eam. Isti qui hodie appellantur Arabes discurretes in curribus cum vxoribus & filiis modò hîc & modò illic castrametates & alienas messes secantes. & cetera. aut similes eis describuntur. viuunt enim alienis sudoribus & cōculcant omnia quæ nō rapiūt. Humiliatusq; est, Iuxta Hebræū habetur. Et attenuatus est Israël valde à facie Mid'ian. in rebus exterioribus punit? valde est. & clamauit ad dominum, postulans auxilium contra Mid'ianitas.

Qui misit ad filios Israel virum prophetam. Ne intelligere-
mus angelum, manifestè dicitur virum prophetam, quã-
uis nesciamus quis fuerit iste sanctus vir veri Dei
propheta, dixitq; ad eos, sic dixit dominus Deus Israel, ego ascende-
re feci vos ex Aegypto & eduksi vos de domo seruitutis. Et liberaui
vos de manu Aegyptiorum & de manu omnium opprimencium vos:
expulsiq; eos a facie vestra, & dedi vobis terram eorum. Et dixi vo-
bis, ego dominus Deus vester, non timeatis Deos Emoræorum in quo-
rum terra habitatis: & nolistis audire vocem meam.

Venit autem angelus domini. Vide benignitatem diuinã, prius
misit prophetam ad filios Israel vt prepararet populum ad
diuinum beneficium: deinde mittit angelum ad Gedeonem.
& sedit sub quercu que erat in Ophra, & perierat ad Iouis patris
Hexitarum. Ex hoc quòd sedit, manifestè patet quòd in spe-
cie sensibili in forma humana apparuit angelus iste. Nec fit tibi
curæ de proprietate arboris: Hebraicè enim habetur non
quercus, sed Ela. Ghidhonq; filius eius excutiebat frumẽta in tor-
culari vt fugeret Madian. Legendum est, vt faceret fugere a facie
Mid'ian. Significatur quòd occultè excutiebat frumenta in
torculari ne caperetur a Madiantis. Et apparuit ei angelus do-
mini, dixitq; ad eum. Non solùm describitur angelus sedens sub
Ela, etiam quòd fuit visus ab ipso Gedeone & quòd allocu-
tus est Gedeonem. Dominus tecum virorum fortissime. Iuxta He-
bræum habetur, vir fortitudinis. Ita tamen q; viri nomine non
intelligas virum communiter, sed virum eximium. Salutatur
siquidem ab angelo tum a coniunctione Dei dicendo Jeho-
uah tecum, tum a præcipua fortitudine, dicendo vir fortitu-
dinis.

Dixitque ei Ghidhon: obsecro mi domine, si dominus nobiscum est
cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia? Hinc apparet quòd Ge-
deon cœpit suspicari quòd angelus seu propheta domini salu-
tasset eum: & ex ipsa salutatione argumentum sumpsit in-
terrogandi causam tantorum malorum quæ patiebantur a
Madianitis. Admirabatur enim quòd starent simul duo hæc:
videlicet Deum esse cum eis, & pati eos tot mala. intellexe-
rat enim verbum angeli non solùm relatiuè ad personã pro-
priam sed ad populum: & propterea dicit, si dominus est no-
biscum. Er vbi sunt omnia mirabilia eius que narrauerunt nobis pa-
tres nostri dicendo, nõne de Aegypto eduxit nos dominus? nunc dere-
liquit nos dominus & tradidit nos in manũ Mid'ian. Reddit ratio-

nem

neti Interrogationis suæ ex effectibus contrariis: videlicet
quòd Deus fecit tot mirabilia pro populo quando erat cum
eis, nunc autem dereliquit eos sub potestate Madianitarum.
Respexitq; ad eum dominus. Iuxta Hebræum habetur. Et vertis
Ichouah ad eum. Sit mutatio describitur. insinuatur enim quòd
sedens angelus non secundum rectæ lineæ prospectum ante
faciem suã habebat Gedeonẽ, sed vel ad dexteram vel ad si-
nistram: & propterea scribitur quòd vertit proculdubio faciẽ
versus Gedeonem intueno ipsum. Et qui prius nominatus
est angelus nunc nominatur Ichouah, quia Dei personam a-
gebat. & ait, vade in fortitudine tua ista & saluum facies Israel
de manu Mid'ian. Non dicit vade in fortitudine tua, sed adiu-
git pronomen ista: ad insinuandum quòd de fortitudine fidu-
ciæ in Deo, de fortitudine Gedeonis innixa Deo loquitur.
Professus enim erat Gedeon, a Deo fuisse salutem patrum &
a Deo fuisse se traditos in manũ Madian, & mirari quòd de-
us sit cum eis & non liberet eos: in hac ergo fortitudine libe-
raturus dicitur Israel. sciro quòd miserum te. Parui refert quòd
Hebraicè habetur. an nõ misi te? Interrogatiuè legendum est,
ad affirmandum quòd misi te. tacitæ siquidẽ obiectioni, qua
authoritate ibo: responderet quòd ego misi te. Et nõ dicit mit-
to sed misi, ad manifestandam quòd olim elegerat ipsum
& disposuerat vt iret ad liberandum populum. Qui respondens
ait, obsecro mi domine. Parui refert quòd Hebraicè habetur. ado-
nai in quo liberabo Israel. Pe nantis seipsum tum ex qualitate
fortis suę, tum ex propria persona verba sunt. ecce familia mea
infirma est in Menasse. Iuxta Hebræum habetur. ecce millenarius
meus pauper in Menasse, & ego parvus in domo patris mei. nec so-
ciorum diuitiæ nec authoritas propriæ personæ suppetit tan-
to operi, vt intelligas textum, recole quòd populus Israel dis-
tinctus erat per tribus duodecim: & quælibet tribus erat dis-
tincta primò per millenos, postea per centenos, postea per
quinquagenos, Gedeon itaque de tribu Menassis citat pau-
pertarem sui millenarij sub quo comprehendebantur & cen-
teni & quinquageni. Dixitq; ad eum dominus, quia ero tecum: per-
curiesq; Mid'ian quasi virum vnum.

Et ait ad eum: si inueni gratiam in oculis tuis, da mihi signum quòd
tu sis qui loqueris ad me. Iuxta Hebræum habetur. fac mihi signum
quòd tu loquens tecum. Opinatus Gedeon illum qui loqueba-
tur secum diuina authoritate fultum (dicendo ego misi te,
ego

ego ero tecū & percuties Madianitas tanquam virum vñi) esse angelum vel prophetam Dei, querit fieri certior petens ab eo signum.

Vbi prudens lector, libra verba & facta. verba sonant signū nō alicuius rei occulte sed manifeste ipsi Gedeoni: videlicet quod tu loquens mecū. Nō dicit quod tu sis deus vel angelus dei sed quod tu loquens mecum. Similiter facta Gedeonis non sonant sacrificium (vt vulgata habet editio) sed munus. subiungitur enim Hebraicè. *Ne quaso recedas hinc donec veniā ad te, & educam munus meū & ponam coram te.* hęc enim vt allata testantur sonant prandium non sacrificium. Signum itaque firmi ac benefici sermonis petit sibi fieri expectando prandium de manu ipsius Gedeonis. Nec diffonat suspitione (seu etiā opinione) quod esset angelus dei oblatio. *Et dicitur: quoniam vulgatum erat apud Hebræos angelos in domo abrahæ prandios fuisse: nec Gedeon idiota sciebat tot subtilitates quod angeli non vere comederent, sed in corporibus assumptis exercerent opera similia operibus vitalibus: comedere, bibere & ambulare. &c. Quemadmodum igitur angeli apud Abraham & apud Lot signū familiaris firmi ac benefici colloquij exhibuerunt facto comedendi & bibendi, ita Gedeon incertus adhuc quis ille esset diuino nomine tanta promittens, petit pro signo familiaris firmi ac benefici colloquij vt expectet prandium de manu sua. qui respondit, ego prestolabor aduentum tuum. Parui refert quod Hebraicè habetur. ego sedebō donec reuertaris. Sicut apparuerat sedens, ita expectaturum se dixit. Ingressus est itaque Ghidhon & coxit Hædum & de modio farine Azymos panes. Hebraicè habetur. & fecit Hædū carnarum & modium farine azymorum. Subiuncta de iure carniū, manifestant quod lixauit Hædum: Azymos autem coxit panes vt celerius perficeret. Et hinc habetur quod nō in sacrificio sed in prandium parauit hæc. non enim carnes coctæ portabantur ad sacrificandum, sed ad eops cremabantur in primis deo, & deinde coquebantur carnes: hęc autē nulla fit mentio adipis, sed duntaxat quod carnes elixas & panem & ius carniū derulit. *carnes posuit in canistro & ius carniū posuit in olla. & tulit omnia sub quercu & obtulit ei.* Iuxta Hebræum habetur. & eduxit ad eū sub Ela, & appropinquauit. Et est sensus quod ad angelum sub Ela sedentem eduxit ea & appropinquauit ad eum. Ita quod nō significatur quod posue-*

rit

delicet ex terra seu lapidibus quos ferrū nō tetigit. Sed quod dicitur super verticem fortitudinis istius, non facile patet. antiquus interpret intellexit lapidē illum in quo fuerat oblatum sacrificium. Et quia nescimus situm loci illius, & demonstratio fit ad sensum, à ratione alienum non est vt intelligi possit quod lapis vnde ascendit ignis, rupes erat, & propterea hęc dicitur super caput fortitudinis istius: hoc est super caput istius rupis, à fortitudine denominatē, vel quia durissimus lapis erat, vel quia arcis fundamentum seu vices præ se ferebat. Et iuxta hunc sensum mandatur quod in summitate illius rupis ædificetur Deo vero altare secundum ordinem legis. *tolleque taurum secundum.* Nulla fit mentio alterius tauri. & *ascende facies holocaustum.* Aduerte prudens lector, quod Deus præcipit duo contra legem Moysis. alterum ædificari altare extra locum vbi erat tabernaculum diuinū: alterum offerri ibi holocaustum à nō sacerdotem seu leuita. *super struem lignorum qua de nemore succideris.* Iuxta Hebræum habetur. *in lignis quercus quam succides.* Super ligna quercus Bahal præcipit offerri holocaustum.

Tulitque Ghidhon decem viros de servis suis, & fecit sicut locutus est ad eum dominus: timens autem familiam patris sui & viros ciuitatis, in die non fecit sed in nocte. Cūque surrexissent viri ciuitatis mane, viderunt destructam aram Bahal quercūque succisam: & taurum secundum impositum super altare quod tunc edificatum erat. Dixeruntque ad inuicem, quis fecit hoc? Cūque perquirerent authorem facti, dictum est Ghidhon filius Ioas fecit hoc. Et dixerunt viri ciuitatis ad Ioas: educ filium tuum & moriatur, quia destruxit aram Bahal & succidit quercum qua erat iuxta illam. Quibus ille respondit: nunquid vltiores estis Bahal vt pugnetis pro eo? qui aduersarius est eius moriatur antequam lux crassina veniat. si deus est, vindicet se de eo qui suffodit aram eius. Iuxta Hebræum habetur. num vos litigabitis pro Bahal? num vos facietis saluare eum? qui litigabit in eum morietur vsque mane: si Elohim ipse, litigabit in eum quia destruxit altare eius. Tria dicit ad retrahendum homines ab impetitione filij. primum quod non spectat ad eos vindicare Bahal: deinde imprecatur mortem actori criminis infra breuissimum tempus: & demum authorem mortis imprecatæ implorat ipsum Bahal. Et quoniam hæc verba sederunt impetum populi, intelligenda sunt affectu condolentis dicta, & reuerenter referuntis causam vindictæ ipsi Bahal:

H

acfi

a cū apertius promississet quod Bahal faciet vindictam celeritē. Et vocavit eum in die illa Ierobaal. Legendum esset. Ierubabahal dicēdo. Et ratio nominis cōpositi in litera subditur sentētia patris. cōponitur enim nomen hoc ex lite & Bahal. dixerat enim pater. litigabit in eum Bahal quia dicit altare eius. hoc est pugnabit aduersus eum Bahal &c.

Igitur omnes Mid'ian & Hamalec & Orientales populi cōgregati sunt simul: & transeuntes Iordanem. Interpres addidit Iordanem pro claritate literæ. ingressi enim significantur terram promissionis. castrametati sunt in valle Ixrael. Legendum esset. Ixrehel. Nomē est propriū. Spiritus autē domini induit Ghidhō. Describitur spiritus diuinus instar indumenti. Gedeonis, ad significādum quod exterioribus signis apparuit Gedeon tāquam actus & motus à diuino spiritu. siquidē in eo diuinus spiritus quēadmodum in induto veste regia relucet regius fauor. & clāxit tuba, & cōgregata est domus Abihizer post eū. Misitq; nūcios in totū Menasse qui & ipse secutus est eū, & nūcios misit in Aser & in Zebulū & in Naphthali, qui ascēderunt in occursum corū. Dixitq; Ghidhon ad Deū. Nomen est Elohim, eodē qd ad Deū tanquā ad gubernatorem rēcurrit. si saluas per manum meam Israel sicut locutus es. ecce ego statuo vellus lana in arca: si ros fuerit ad vellus tantū & super totā terram fuerit siccitas, sciam quod saluū facies Israel per manū meā sicut locutus es. Quod non pro seipso sed pro populo petiit. Gedeon huiusmodi signū (& propterea nō peccauit nec tentauit Deū: sed pro utilitate populi vt securus sequeretur illū ad bellū, petiit signū) insinuat in primis ex eo quod fuit petitio signi cōgregato iā exercitū. deinde quod ipse Gedeon repetit indubiē Deum hoc dixisse: nō ergo vt ipse nosset (qui iam nouerat) sed vt populus sciret, signum petiit. Et fuit ita & surrexit in crastino, & expresso rore de vellere. Con: ham impleuit aqua. Dixitq; Ghidhon ad Deū. Nomē est Elohim ob dictā rationē. ne irascatur furor tuus in me & loquar tantū semel. Et hinc tertio apparet qd humiliter petebat quēadmodū Abraham: & quod charitate motus erga populū, petebat secundū signum futurę victorię. tentabo obsecro tantum semel in vellere. sic obsecro siccitas ad vellus tantū & super totam terram sit ros. Ad satisfaciendum populo experimentum iterum in vellere petiit. fortē enim opponebant aliqui quod casu acciderat primum signum. Fecitq; Deus sic in nocte illa: & fuit siccitas ad vellus tantū, & super totam terram fuit ros.

CAP.

CAPVT VII.

Tsurrexit Ierubbahal (ipse est Ghidhon) & totus populus qui erat cum eo, & castrametati sunt iuxta fontē Charod: castraq; Mid'ian erant ei ab Aquilone à colle More in valle. Dixitq; dominus ad Ghidhon, multus est populus qui tecū est ad dandū me Mid'ian in manū corū: ne gloriatur cōtra me Israel dicēdo, mejs viribus liberatus sum. Et nunc loquere ad populū & cūctis audientibus prædica, qui formidolosus & timidus est reuertatur. Hoc fuit secundum legem Mosis. recesseruntque de monte Galahad. Iuxta Hebreum habetur. qui timens & tremens, reuertetur & diluculabit è monte Ghilhad. Sed quæstio oritur quomodo verificatur reuersio de mōte Galahad, cum nō ibi essent. nā mons Galahad est vltra Iordanem eūdo à Ierusalem versus Iordanē: Gedeon autē erat citra Iordanem in terra promissionis, vt subiuncta testatur. Solutio est quod multi venerat ad exercitū Gedeonis ex regione vltra Iordanē: vt patet ex eo quod in cap. præcedenti scribitur qd misit Gedeon nūcios in omnē Menassem qui secutus est eū. perspicuum est enim qd dimidia tribus Menassis habitabat trās Iordanē: immo (vt Nu. 32. scribitur) mōs Galahad datus est à Mose Machir filio Menassis. Quia itaq; cōuenerant ad exercitū multi ex regione trans Iordanē, clamatū est voce præconū vt quilibet timidus vnde cūq; esset etiā ex mōte Galahad reuertatur, ita qd mōs Galahad nō noīatur vt terminus à quo reuersionis, sed vt extēsiō patriarū vnde venerat. Et meminist specialiter mōtis Galahad ad insinuandū tū quod etiā remotissimi, tum quod etiā cōtribules Gedeonis reuenterēt si timerēt. & reuersa sunt de populo vigintiduo millia, & decē millia remanserunt.

Dixitq; dominus ad Ghidhon: ad huc populus multus est, fac descendere eos ad aquas & ibi probabo illos. Iuxta Hebr. habetur. & purificabo cum tibi ibi. Ad similitudinē purificantis discreturum se promittit populum separadū magnā ab eo parte. et de quo dixerō tibi vt tecū vadat, ipse pergat: quē verō ire prohibuero, reuertatur. Cumq; descendisset populus ad aquas, dixit dominus ad Ghidhon qui lingua labuerint aquas sicut solēt canes labere, separabis eos scorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erūt. Fuit itaq; numerus corū qui manu sua ad os labuerāt trecētū viri: omnis autē reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait dominus ad Ghidhon in trecētis viris qui labuerūt aquas liberabo vos & gradam in manum tuam Mid'ian: omnis autem reliqua multitudo

Hij reuertatur

reueratur in locum suum. Sumptis itaque pro numero cibariis & tabis, onerant reliquam multitudinem abire praecepit in tentoria sua: & ipse cum trecentis viris se certamini dedit iuxta Hebræum haberetur. & in trecentis viris fecit robur. Vniuersum enim exercitus robur constituit in trecentis viris. castra autem Mid'ian erant ei subter in valle.

E Ademque nocte dixit dominus ad eum. Nocturnum tempus allocutionem in somno insinuat. Ad quod etiam facit quod dicitur, surge. iacenti enim dicitur surge. & descende in castra, quia tradidi ea in manum tuam. Et si formidas solus descendere, descendat tecum Pura puer tuus. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuae, & securior ad hostium castra descendes. Ad suauē diuinæ gubernationis dispositionem spectat confortare animos hominum ex sensibilibus signis: inter quæ supputatur ab hominibus sumpta omnia. nā magnificabant apud p̄fiscos huiusmodi omina tanquā à superis data. descendit: ipse & Pura puer eius in partem castrorum ubi erant armatorum vigiliae. Mid'ian autem & Hamalec & omnes orientales populi fusi iacebant in valle vt locustæ in multitudine: cameli autem eorum innumerabiles erant sicut arena quæ iacet in litore maris. Cumq; venisset Ghidhon, narrabat vnus somnium proximo suo: & in hunc modum referebat quod viderat. vidi somnium, & videbatur mihi quasi submericus panis ex hordeo, volui & in castra Mid'ian descendere. Rectius legitur. & ecce tremor panis hordeorum voluētis se in castra Mid'ian. Hebraica dictio interpretata tremor, quāuis nō significet propriē tremorem, quia tamen ad tremorem pertinet, nominatur tremor ob penuriam nominū. significatur enim ad literam q̄ cōmotio quædā terribilis apparuit panis hordeacei voluētis se. Et ex eo quod describitur voluētis se, insinuat q̄ huiusmodi panis erat orbicularis figuræ. Hęc enim figura ad motū reuolutionis valde est habilis. Nec intelligo per panem, panem vnū, sed multitudinem panis, quem admodum & per tentorium nō significatur tentorium vnū, sed vniuersitas tentorium cū subiungitur. & venit vsque ad tētorium & percussit illud & cecidit, & voluit illud in supra & cadet tentorium. Ita iacet in Hebræo. describitur enim multitudo panum terribili motu voluentium se in castra Madian ita quod venerunt non solum ad loca excubiarum sed etiā vsque ad ipsa tentoria & percusserunt tentoria & ceciderunt. Statimq; subiūgitur modus percussio-

nis

nis & modus casus. modus quidem percutiendi, dicendo & voluit ipsum in supra: hoc est nō solum percussit verum vertit partes inferiores in superiores. Et hoc modo secutus tentorium casus describitur in futuro relatiuē ad motum huiusmodi percussiois. Responditq; is cui loquebatur, non est hoc aliud nisi gladius Ghidhon filij Ioas viri Israelitæ: tradidit enim dominus in manum eius Mid'ian. Nomen est Elohim: Deus quatenus gubernat significatur. & omnia castra. Hinc apparet verū esse quod diximus: videlicet somniantem vidisse omnia tētoria percussa. Cūq; audisset Ghidhon somnium & interpretationem eius, adorauit. gratias agendo Deo de huiusmodi omne dato. & reuersus est ad castra Israel & ait: surgite, tradidit enim dominus in manus vestras castra Mid'ian.

Duisitq; tres viros in tres partes. Parui refert quod Hebraicē habetur, in tria capita. tres siquidem centuriones instituit. & dedit tubas in manum omnium eorum, lagenasque vacuas & lampades. Rectius legeretur. & torres in medio lagenarū, lignæ siquidem faces optimē ardentes intelliguntur. Et dixit ad eos, quod me facere vidēbitis hoc facite, ingrediar partem castrorum. Legendum est, in extremum castrorū, & erit, sicut faciam sic facietis. Clāglām q; tuba & omnis qui erit mecum, & clāgeis tubis etiam vos per circumitus omnium castrorū, & dicetis, domino & Ghidhoni. Ingressusque est Ghidhon & trecenti viri qui erant cum eo in parte castrorū. Iuxta Hebræū habetur, in extremum castrorū. Quod autem sequitur, incipientibus vigiliis noctis mediæ, iuxta Hebræū habetur, caput custodiæ mediæ. Antiquus interpres retulit hoc ad tēpus: litera autē anceps est an referatur ad locū quo venit Gedeon (videlicet q̄ venit ad angulum castrorum caput custodiæ mediæ) an quod venerit in principio vigiliæ mediæ, & custodibus suscitatis. Iuxta Hebræum habetur, tatum surgendo fecerunt surgere custodes, & est dictum quod non attentaerunt aliquid facere aduersus Madian, sed duntaxat excitare custodes, proculdubio facto aduentus. & clamauerunt tubis & colliserunt inter se lagenas quas habebant in manibus suis. Cūque per gyrum castrorum in tribus personarent locis & lagenas confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades. Iuxta Hebræum habetur, roborauerunt in manu sinistra sua torres, & in manu dextera sua tubas clangendo. Et tali siquidem robore apparet quod faces lignæ erant: quæ motu roborantur ad arrendum & ad apparendum in maiori multitudine, clamau-

H iij rūtque

riōneque, gladius domino & Ghidhoni. Steteruntque quisque in loco suo per circumitum castrorum: & omnia castra turbata sunt. Parui refert quod hebraice habetur. & cucurrerunt omnia castra. Velox motus timentium describitur. & vociferantes ululantesque fugerunt. Rectius legeretur. & claxerunt & fugerunt. Ita quod clangere intelligatur actio Hebræorum, fugere verò Madianitarum. Deinde immediatè sequitur, Et sonarunt trecenti cornibus. Exponit quod dixerat & claxerunt, explicando numerum clangentium, immisitq; dominus gladium in omnibus castris: & mutua se cæde truncabant, fugientes vsque ad Bethsute in Zeradath, vsque ad Labrum. Abel mechole super Tabath.

Quali occæcatione mentis Deus hoc fecerit, scriptum non est. Conclamantes autem viri Israel. Iuxta Hebræum habetur. Et fuit adunatus vir Israel de Naphtali & Aser & Menasse, & persecuti sunt Mid'ian. Ex eò quod subiungitur Gedeonem misisse nuncios in montem Ephraim, insinuat quod misit similiter nuncios ad Neptalim, Afer & Menassem vt persequerentur Madianitatis. Meminit autem in specie nunciorum ad Ephraim, quia istis mandata est specialis cura præueniendi transitus aquarum ne euadere possent Madianitæ.

Misitq; Ghidhon nuncios in omnem montem Ephraim dicens: descendite in occursum Mid'ian, & capite eis aquas vsque ad Beth'bare & Iarden. & congregatus est omnis vir Ephraim, & ceperunt aquas vsque ad Beth'bare & Iarden. Et comprehenderunt duos principes Mid'ian, Horeb & Zeeb: & interfecerunt Horeb in petra Horeb, & Zeeb occiderunt in torculari Zeeb. Non est ista petra Choreb ex qua Moses eduxit aquas in deserto: sed est quædam petra in terra promissionis denominata petra Horeb à cæde regis Horeb ibidem. sicut & torcular Zeeb denominatum est à cæde regis Zeeb ibi. & persecuti sunt Mid'ian: caputq; Horeb & Zeeb attulerunt ad Ghidhon trans Iarden.

Author libri ad terminandum gesta Ephraim iam inchoata, narrat ea quæ postea gesta sunt: prius enim Gedeon persecutus est ultra Iordanem alios duos reges & victoriam habuit integram, & postea gestum est hoc quod modò narratur: videlicet quod viri Ephraim portauerunt capita Horeb & Zeeb ad Gedeonem trans Iordanem. sed (vt dictum est) ad continuandum gesta Ephraim præ narratio ista fit.

CAP.

CAPVT VIII.

Dixeruntq; ad eum viri Eph'raim cur hoc fecisti nobis vt non vocares nos cum pergeres ad pugnandum contra Mid'ian: iurgantes furititer & propè vim inferentes. Superfluum quatuor vltimæ dictiones. Elati siquidem viri Ephraim tumebant aduersus Gedeonem principem exercitus & caput tantæ victoriæ. Dixitq; ad eos, quid enim tale facere potui quale vos fecistis: Iuxta Hebræum legendum potius est, quid feci nunc sicut vos? Magnificat gesta ab eis vt sic elatos mitiget. nonne melior est racemus Eph'raim vindemia Abihezer: ipse enim erat ex progenie Abihezer. In manum vestram dedit dominus principes Mid'ian, Horeb & Zeeb, quid potui facere sicut vos? quod cum locutus esset, requieuit spiritus eorum quo tumebant cõtra eum.

Cumq; fuisset Ghidhon ad Iarden, transiit cum & trecenti viri qui cum eo erant. Redit ad ordinem historia: iste enim transitus fuit prius antedicto iurgio Ephraim. & præ lassitudine fugientes persequi non poterant. Iuxta Hebræum habetur, fessi & sequentes. non enim substiterant præ lassitudine. Dixitq; viris Succhoth, date obsecro panes populo qui mecum est: quia lasi sunt, & ego persequens Zebach & Zalmunnah reges Mid'ian. Dixeruntq; principes Succhoth: forsitan palmæ manuum Zebach & Zalmunnah nunc in manu tua sunt, & idcirco postulas vt domus exercitui tuo panes. Hinc clarè apparet quod principes in culpa fuerunt. Succhoth autem ciuitas erat trans Iordanem in loco vbi Iacob ædificauit sibi domum & gregi suo fecit tabernacula Gene. 33. Quibus ille ait: idcirco cum tradiderit dominus Zebach & Zalmunnah in manum meam, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. Et inde consensens venit in Penuel, locutusq; est ad viros loci illius similia. Penuel est locus vbi Iacob luctatus est cum angelo Genes. 32. cui & illi responderunt sicut responderant viri Succhoth. Dixitque eis: cum reuersus fuero victor in pace diruam turrim hanc.

Zebach autem & Zalmunnah erant in Carcor cum exercitu suo: circiter enim quindecim millia virorum remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum & viginti millibus virorum educentium gladium. Hinc conici potest quàm ingès fuerit multitudo orientalium discurrētium. erant enim inter eos tot millia bellatorū. Ascenditq; Ghidhon per viā eorū qui in tentis morabatur, ab oriēte Nobach & Togbehe: & percussit castra, quæ secura erant & nihil aduersi suspicabantur. Fugeruntque Zebach

H iij

& *Zalmunnah*: quos persequens *Ghidhon* comprehendit turbato omni exercitu eorum.

Et reuersus est *Ghidhon* filius *Ioas* de bello ante solis ortum. Anceps est Hebraica litera. nā legi potest. ab ascensu solis. vel. ante ascensum solis. Virouis autem modo legatur, insinuatur quod nocte aggressus est reges istos, ita quod reuersus est ante meridiem. tunc enim completur solis ascensus, & tunc verificatur adhuc ascensus solis. Cepitque puerum de viris *Succhoth*, & interrogauit eum nomina principum & seniorū *Succhoth*: & descripsit sibi septuaginta septem viros. Venitque ad homines *Succhoth* & ait: en *Zebach* & *Zalmunnah* & de quibus exprobraſti mihi dicentes, forsitan manus *Zebach* & *Zalmunnah* nunc in manu tua sunt & idcirco postulas vt demus viris tuis lapsos panes. Tulit ergo seniores ciuitatis & spinas deserti ac tribulos, & prout iussit cum eis atque comminuit viros *Succhoth*. Iuxta Hebraicū habetur. & fecit cognoscere in eis viros *Succhoth*. afflictio siquidem principum *Succhoth* cum spinis & rubis (siue per modum flagellationis siue alio modo) describitur per experimentalem cognitionem qua senserunt in propriis carnibus spinas & rubos vt promiserat *Gedeon*: nam dixerat teram carnes vestras spinis & rubis. Turrim quoque *Penuel* diruit, occisis habitatoribus ciuitatis. Mirum est quod principes *Succhoth* non occidit, viros autem ciuitatis *Phanuel* occidit. Crediderim ego disparitatem hanc ortam ex eo quod viri *Succhoth* redeunt *Gedeoni* humiles se exhibuerunt (cuius signum est quod solum colloquium inter *Gedeonem* & eos describitur) viri verò *Phanuel* confidentes in turri non se humiliauerunt. & propterea *Gedeon* non solum turrim destruxit (vt comminatus fuerat) sed etiam viros ciuitatis vt pote adhuc resistētes occidit.

Dixitque ad *Zebach* & *Zalmunnah*, quales viri fuerunt quos interfecistis in *Thabor*? qui responderunt, similes tibi & vnus ex eis quasi filius regis. Et ait, fratres mei filij matris meae erant. vniuit dominus. *Parui* refert quod Hebraicè habetur. vniuit *Iehouah* se fecerit uas: non vos occiderem. Modus erat iurandi afferendo vitā Dei in testimoniū dicti, Dixitque *Iether* primogenito suo, surge, interfice eos: & nō eduxit puer gladium suū, timebat enim quia adhuc puer erat, Dixitque *Zebach* & *Zalmunnah*, surge tu & occide nos quia iuxta aetate robur est homini: surrexitque *Ghidhō* & interfecit *Zebach* & *Zalmunnah*, tulitque *Lunulas* quae erant in collis *Camelorum* eorum.

Dixit-

Dixeruntque viri *Israel* ad *Ghidhonem*, dominare nobis tu & filius tuus & filius filij tui, quia liberaſti nos de manu *Mid'ian*. Quibus ille ait: non dominabor vobis nec dominabitur filius meus vobis, dominabitur vobis dominus. Respuit *Gedeon* dominatum, deferēs domini nomen Deo. & propterea inter iudices supputatur quintus.

Dixitque ad eos *Ghidhon*, vnam petitionem postulo à vobis, date mihi in aures ex parte vestra: in aures enim aureae erant eis quia *Israhel* & erant. Et dixerunt, dando dabimus: & extenderunt pallium, & proiecerunt ibi quisque in aures spoliū suorum. Et fuit pondus inaurium aurearum quas postulauerunt mille & septingentorum aureorum: praeter *Lunulas* & monilia & vestes purpureas quae erant super reſta *Mid'ian*, & praeter torques quae erant in collis camelorum eorum.

Fecitque ex eo *Gedeon* *Ephod*. *Parui* refert quod Hebraicè habetur. Et fecit illud *Ghidhon* in *Ephod*, & fecit manere ipsum in ciuitate sua in *Hophra*, & fornicati sunt omnes *Israel* post ipsum ibi: & fuit *Ghidhoni* & domui eius in offendiculum. Quia anceps est sensus, textum vt iacet afferendum censui. Nomen *Ephod*, significat indumentum superhumeralē ex quacunque materia sit. non enim est nomen proprium indumenti sacerdotalis, sed commune cuilibet tali indumento. Vnde & mater *Samuelis* fecit *Samueli* puero *Ephod* lineum: & *Dauid* deducendo arcam domini accinctus erat *Ephod* lineo, vt patet 2. Reg. 6. Et quantum coniciere possum, erat indumentum tegens humeros & pectus, apertum in vtroque latere, non tegens brachia: quale videmus in militibus quod vulgari Italico *Zorneam* appellat. Lineo autē *Ephod* vtitur vique in hodiernū diē clerici Germaniae. Hæc idcirco dixerim, vt appareat quod ex proprietate nominis nō significatur quod *Gedeon* fecerit *Ephod* pontificale, sed dūtaxat quod fecerit *Ephod*. Et si materia cōsiderata fuerit, apparebit quod nō fecit *Ephod* sacerdotale: quoniā clarè in textu dicitur & fecit illud in *Ephod*. materia ergo *Ephod* facti à *Gedeone* fuit aurū: sacerdotalis autē vestis appellata *Ephod* nō erat aurea (sed de auro, hyacintho, purpura, cocco & bysso) & erat texta opere polymitariorum: vt patet *Exod.* 28. Manifesta siquidē disparitas est secundum materiā: quia superhumeralē pontificium textum erat ex filis aureis, lineis & laneis adminis: superhumeralē autem factum à *Gedeone* erat ex auro: hoc est ex auro ductili,

duātili, quale erat aurum inaurium: hoc enim significat litera. Et huic sensui consonant subiuncta verba, & fecit ipsum manere in ciuitate sua. nullus enim vsus huius vestis aureæ describitur nisi quod fecit manere ipsam in ciuitate sua: erat enim velut lorica nō ferrea, sed aurea stans in seipsa. Fornicatio autem subiuncta quia cōmunis scribitur Gedeoni & toti Israël (dicendo & fornicati sunt omnis Israël post eū ibi (nō est intelligēda fornicatio idolatrie: nā Gedeō semper fidelis perstitit in cultu vniuersi Dei, vt testatur subiuncta in calce istius capituli. sed superstitio aliqua commissa & ab ipso Gedeone in illo superhumerali, & à toto Israël exēplo Gedeonis: & propterea dicitur post eū. Qualis autē fuerit huiusmodi superstitio, scriptū non est. Potest tamen facillē intelligi q̄ exaltauit vestem illam vt memoria perpetuā suorum gestorum: & consequenter cōueniebant ibidē offerendo sacrificia pacifica Deo vero. sed hoc erat superstitutionis quod tanquā honorādo signū illud, sacrificabant: p̄ter hoc quod extra locū vbi erat tabernaculū diuinū immolabant. sed ratione primi dicuntur fornicati: vnde scriptū est quod hoc superhumeralis fuit in offendiculū casus & ipsi & domui eius. Et de casu quidē culpæ nō est dabiū, cum fornicati scribantur: de casu autē p̄næ quo ad domum eius patet in sequenti capitulo: quo ad ipsum verō nihil aliud scriptū est, sed potest intelligi quod mors filiorum fuit iniuria irrogata patri: vt in calce sequentis capituli scribitur. Humiliatusque est Midian coram filiis Israel, & non addiderunt vt eleuaret caput suum: & quicquid terra quadraginta annis in diebus Ghidhon.

A Buit itaque Ierubbahal filius Ioas, & habitauit in domo sua, Habuitque septuaginta filios qui egressi sunt de femore eius: eod quod plures haberet uxores. Concubina autem eius quam habebat in Sechem, peperit ei etiam ipsa filium: & posuit nomen eius Abimelech. Mortuusque est Ghidhon filius Ioas in senectute bona: & sepultus est in sepulchro Ioas patris sui in Hophra, patris Hexitarum.

Postquam autem mortuus est Ghidhon, reuersi sunt filij Israel & fornicati sunt post Behalim: percusseruntque eū Bahal sedus vt esset eis in Deum. Hinc apparet quod quādiu vixit Gedeon, populus Israel coluit verum Deum. Nec recordati sunt filij Israel domini Dei sui, qui eripuit eos de manu omnium inimicorum eorum per circumitum. Nec fecerunt misericordiam. Legendum esset. Et non fecerunt gratiam cum domo Ierubbahal iuxta omnia bona qua

qua fecerat cum Israel. ingrati siquidem describuntur erga domum Gedeonis.

Buit autem Abimelech filius Ierubbahal in Sechem ad fratres matris suae: & locutus est ad eos & ad omnem familiam domus patris matrisque suae dicendo. Superfluit coniunctio, que est enim sermo de domo genitoris matris eius. Loquimini obsecro ad omnes Heros Sechem: quid vobis est melius vt dominentur vobis septuaginta viri (omnes filij Ierubbahal) an vt dominentur vobis vnus vir? memento quod os vestrum & caro vestra sum. Et locuti sunt fratres matris eius de eo ad omnes Heros Sechem omnes sermones istos: & inclinatus est cor eorum post Abimelech, dixerunt enim fratres, iustus est. Dederuntque ei septuaginta argenteos de domo Bahal Berith, qui conduxit sibi ex eis viros inopes & vagos. Parui refert quod Hebraicè habetur, viros vacuos & festinos, ociosos enim & veloces ad arma conduxit. Nec alienum est vt festinatio referatur ad animum: & significantur viri precipites, quales sunt iuuenes qui mercede currunt ad bellum. & secuti sunt eum. Et venit in domum patris sui in Hophram, & interfecit fratres suos filios Ierubbahal septuaginta viros super lapidem vnu: remansitque Iotham filius Ierubbahal paruum, quia fuit absconditus. Congregati sunt autem omnes Heri Sechem & omnes familiae urbis Mello. Legendum est, & omnis domus Mello. Nomen est proprium, abieruntque & constituerunt regem Abimelech. Aduerte quod nō fuit ab vniuerso Israele nec etiam à tota vna tribu, sed dūtaxat à Sechemitis & Millonitis cōstitutus rex Abimelech. & propter ea nō supputatur in catalogo regum Israel tanquam primus rex: sed honor iste attribuitur Sauli, qui ab vniuerso populo electus fuit rex primus. iuxta quercū qua stabat in Sechem. Iuxta Hebræum habetur. in Elon fixa quæ est in Sechem. Nō significatur quercus, sed arbor cuius sæpe mentio facta est, & describitur fixa ad differentiam arborū quas licitum erat incidere & eradicare: hæc enim arbor perseuerabat semper tanquam res immobilis & diuina. Et ipsa est sub qua Iacob suffodit idola, & Iosua posuit lapidem magnum in testem. Arbitrantur tamē quidam Elon significare non arborem sed planiciem: & quia in illa planicie fixa manebat statua vel columna aliqua, ideo appellari planiciem fixam à signo ibidem fixo. & hanc dicunt esse veram literam Hebraicam.

Quod cum nunciatum esset Iotham iuis & stetit in vertice montis Gherizim, eleuataq; voce clamauit: & dixit, audite me Heri Sechem ita vt audiat vos dominus. Iuxta Hebraeum habetur. & audiet vos Elohim. Imprecando diuinam vltionē dicit hęc verba, cupiendo vt attendat iniquitati eorum deus iustus iudex. Eundo ierunt ligna vt vngerent super se regem: dixeruntq; oliua, regna super nos. Parabola hęc quorsum tendat, manifestatur clarē in litera: videlicet ad imprecandū malū inter Abimelech & Sechemitas ac Millonitas. Meminit autem oliuæ, ficus & vitis respuentium regnum, ad infinuandum ternario numero vniuersos viros probos qui fuerunt iudices in Israel non aspirasse ad regnū, vel ad insinuandum quod requisisti Gedeon, filius eius & (sicut filii) respuerunt regnum (vt patet in capitulo præcedente) tanquam viri optimi. Abimelech autem tanquam fentes non solum pūgens sed emittens ignem, ambiuit tam crudeliter regnum. Dixitq; ei oliua: an deseram pinguedinem meam qua & dū vtuntur & homines. Iuxta Hebraeum habetur. quam in me honorabunt Elohim & homines. Literalis ratio tam huius dicti quā sub iuncti de vino quod letificat Elohim & homines, nō est querenda alia quā hyperbole iuxta consueta poetarū fabellas. & vadam vt promouear super ligna? Dixeruntq; ligna ad ficū: veni tu, regna super nos. Quæ respondit eis: an deseram dulcedinem meam & fructum meū bonum, & vadam vt promouear super ligna? Dixeruntq; ligna ad vitem: veni tu, regna super nos. Quæ respondit eis: an deseram mustum meum quod letificat Deum & homines, & vadā vt promouear super ligna? Dixeruntq; omnia ligna ad Rhamnum: veni tu, regna super nos. Qui respondit eis: si in veritate vngitis me in regem super vos venite & requiescite sub umbra mea, & si non egrediatur ignis de rhamno & deuoret cedros libani.

Et nunc si in veritate & simplicitate fecistis & regnare fecistis Abimelech: & si benē egistis cum Ierubbahal & cum domo eius, & si secundum retributionem manum eius fecistis ei, qui pugnavit pro vobis & animam suam dedit periculis, & liberauit vos de manu Mid'ian. Et vos surrexistis contra domum patris mei hodie, & interfecistis filios eius septuaginta viros super lapidem vnum: & regnare fecistis Abimelech filium ancilla eius super Heros Sechem, quia frater vester est. Et si in veritate & simplicitate egistis cū Ierubbahal & cum domo eius die hac, late nini in Abimelech & letetur etiā ipse in vobis. Et si nō, egrediatur ignis de Abimelech & deuoret He-

ros Sechem & domum Millo: egrediaturq; ignis de Heris Sechem & de domo Millo, & deuoret Abimelech. Quæ cum dixisset Iotham, fugit & abiit in Beer: & mansit ibi à facie Abimelech fratris sui.

Regnauit itaq; Abimelech super Israel tribus annis. Quauis à Sechemitis & Millonitis duntaxat fuisset electus rex Abimelech, tyrannide tamen sua imperauit super Israel annis tribus. Misitq; dominus spiritum pessimum. Parui refert quod Hebraicē habetur. Et misit Elohim spiritum malum inter Abimelech & Heros Sechem. Deus iustus iudex misit vel dæmonem (qui est spiritus malus) ad efficiendam discordiam inter Abimelech & Sechemitas: vel per spiritū malū significatur malus affectus mutuus inter Abimelech & Sechemitas. Vt vobis autē magis intelligas verificatur qd deus misit tanquā author efficiendo quicquid positui entis fuit in hoc mundo, permittēdo autē malū culpæ, qui cœperūt eum detestari. Iuxta Hebrēū habetur. & mētiri sunt primates Sechē in Abimelech. Rebello scribitur primatū contra fidē datā regi suo. & scelus interfectionis septuaginta filiorū Ierubbahal & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum: & inter ceteros Sechimitarum principes qui cum adiuuerant. Interpres mutauit etiam sensum: quoniam iuxta Hebrēū non significatur actio Sechimitarū reiiciens scelus in Abimelech: sed significatur quorsum deus miserit spiritum malū cum subsecuto effectu rebellionis, dicendo. Vt veniret iniuria septuaginta filiorum Ierubbahal: & sanguis eorum ad ponendum super Abimelech fratrem eorum qui occidit eos, & super Heros Sechem qui roborauerunt manus eius ad occidendum fratres suos. Sententia est clara, explicās finem ad quem deus ordinauit spiritum malum: videlicet ad vltionem occisorum fratrum tam contra Abimelech quā Sechemitas. Posueruntq; ei Heri Sechem insidias super cacumina montium, & prædabantur omnem qui transibat iuxta ea per viam & nunciatum est Abimelech. Rebello Sechimitarum absente Abimelech facta describitur (quanuis non describatur eam rebellionis) & effectus: videlicet quod Sechimitæ cōstituerunt insidias in cacuminibus montium ad occidēdum Abimelech venturum. Venit autem Ghahal filius Hebed & fratres eius & transferunt in Sechem: sperauerūtq; in eo Heri Sechem. Nō inuenio quis fuerit iste Ghahal. Et egressi sunt in agrum. Proculdubio describuntur Sechimitæ animæ quiotes effecti ex præsentia ghahal ita quod publicē manifestarunt rebellionē